

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

## **Instructio Practica ...**

De Conversatione Apostolica A Curatoribus Animarum piè & fructosè  
instituenda - Complectens vatis & solidos modos juvandi & consolandi  
diversorum Statuum Personas afflictas, præcipuè ægras & captivas

**Lohner, Tobias**

**Dilingae, 1677**

§. 5. Quia circa instructionem divitum observandum sit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48248](#)

omnem conatum, consilia, & labores destinat. Huc ut tanto<sup>m</sup>  
faciliusque pertingat, principium tum diei, tum negotiorum  
omnium per Orationem à DEO auspicetur. In auscultando  
Sacro Missæ Sacrificio, in decurriendo sanctissimæ Virginis  
Rosario, ejusque Officio, nec non cæteris precibus ab Ecclesia  
ordinatis, Psalmisque evoluendis assiduus sit. Sanctissimæ  
communionis Sacramento minimum se quot mensibus refi-  
tiat, pios, salutarésque libros lectet, concionibns crebet  
adit, frequenter devotarum Congregationum cœtus, eorum  
que in album nomen suum referri faciat, ut tanto<sup>m</sup> sanctius,  
destinatos divino cultui dies exigat. Nunquam patiatur se  
præsentē à quoquam divinam Majestatem dehonorari & of-  
fendi. Utque diei felicissimè coronidem imponat, DEO,  
Cælitib<sup>s</sup>que acceptissimam, ad vesperum concessurus cu-  
bitum, prius semper in rationes conscientiæ indaget. His  
sanctis exercitiis, brevi ad eximiam integritatem, perfectio-  
nemque evadet: his obsequiis gratum, acceptumque se Deo  
præstabit, his amori, venerationique aliis erit, eosque  
exemplo & conversatione tam sancta ad optima quæque  
provocabit.

## §. V.

Quid circa Instructionem Divitum ob-  
servandum sit.

I. N hac Instructione Magni Gentium Doctor Paulus fa-  
cem præferet Operario, doctrinasque suggeret, quas  
jam olim per Timotheum in i. epist. c. 8. Divitibus inculcat  
voluerat dicens: *Divitibus huius sæculi præcipe, non sublime  
sapere, neque sperare in incerto divitiarum, sed in DEO vivo*  
(qui præstat omnia abunde ad fruendum) *bene agere, divites fia-  
ri in bonis operibus, facile tribuere, communicare, thesaurizare*  
*sibi fundatum bonum in futurum, ut apprehendans ve-  
ram vitam. Quibus quidem verbis succinctè comprehendit,*  
quidquid à Divitibus specialiter observati oportet.

II. Primo ergo hortetur, ne efferantur, aliósque despi-  
ciant ob divitias, cùm nullam ob hunc titulum superbiendū  
causam habeant; quis enim Oeconomus aut Quæstor ex eo  
capite, quod plures pecunias distribuendas à Princepe acce-  
perit, & difficiliores rationes reddendas habeat, meliorem se  
aliis,

aliis, feliciorēmque putat? atqui tales Quæstores & Oeconomici sunt Divites, quibus, sicut multūm datum est, ita multūm quoque repetetur ab illis. Aut quis feliciorēm se patet aliis, si plures peccandi occasiones habeat, pluribuscum & sollicitudinibus oneratus sit? atqui qui volunt divites finē incident in tentationes, & laqueum Diaboli, & desideria multa inutilia & nociva, quæ mergunt homines in interitum, & perditionem, ut S. Paulus 1. Tim. 6. ait. Et, ut Siracides Eccles. 11. confirmat, si dives fueris, non eris innocens. Aut qui propterea efferratur, quod difficiliorem ad Cœlos viam sit natus? atqui, ipso Christo teste Matt. 19. difficilè dives intrabit in regnum cœlorum; imò faciliùs est Camelum peroramē acus transire, quam divitem intrare in regnum cœlorum.

III. Secundò hortetur eosdem, ne in incerto divinorum sperent, sed potius consilium Salomonis Prov. 23. loquantur: Ne erigas oculos tuos ad opes, quas non potes habere, quia facient sibi pellas quasi aquile, & volabunt in celum. Aut certè consilium Christi dicentis Matt. 6. Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, ubi fures effodiunt, & furantur ubi ærugo & tinea demolitur. Certè veniet tempus, cum verificabitur illud Job. 27. Dives, cum dormierit, nil secum feret: aperiet oculos, & nihil inveniet. Apprehendet eum quæ si aqua inopia, & nocte eum opprimet egestas. Hinc meritò clamat Baruch Propheta. c. 3. Vbi sunt, qui thesaurizant arietum & aurum, in quo confidunt homines? ad inferos defunderunt, & alii loco eorum surrexerunt.

IV. Tertiò suadeat, ut divites in bonis operibus fieri studeant; nam, ut S. Bernardus sapienter advertit, veræ divitiae non opes sunt, sed virtutes, quas conscientia portat, ut in perpetuum dives fiat, ad has enim ipse etiam Christus hortatus est Matt. 6. dicens: Thesaurizate vobis thesauros in celo, ubi neque ærugo, neque tinea demontur, & ubi Fures non effodiunt, nec furantur. Hinc meritò S. Hieronymus S. 12. de verb. Dom. quid prodest, inquit, arca plena pecunis, si inanis fit conscientia? bona vis habere, & tu bonus esse non vult, evitare debes de bonis tuis, si domus plena bonis te malum habet Dominum. Quid prodest diviti, quod habet, si DEVVM, quæ omnia dedit, non habet?

V. Quæ-

V. Quartò hortetur, ut, si quidem fructum ex suis divitiis referre velint, eas liberaliter pauperibus distribuāt; nam, ut S. Augustinus S. 25. de verb. Dom. verè dixit, *Fecundus est ager Pauperum, citò reddit donantibus fructum*; illum scilicet, de quo S. Paulus 2. Cor. 9. dixit: *Qui parcè & metet; & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet.*

VI. Quintò admoneat, ut iis divitiis, quibus ad suas necessitates utantur, cor non apponant; sed sic utantur, quasi non utatur, uti Apostolus suast; verè enim *ad subfidiū vita dun-taxat, non ad malorum incitamentum opes date sunt; pecunia anima redemptio est, non exiitii occasio*, uti S. Basilius dixit. &c, ut S. Bernardus S. 4. loquitur, *aurum & argentum, & cetera huusmodi, quantum ad animi bonum spectat, nec bona, nec mala sunt; usus tamen horum bonus, abuso mala, sollicitudo peior, quaestus turpior.* Hunc ergo usum bonum ante omnia procurare studeant, ut hāc ratione sibi fundamentum bonum in futurum thesaurizent, juxta Apostoli suprà cit. monitum.

VII. Sextò denique, cùm divitiæ perinde, ut res aliæ terrenæ, variis casibus, amissionis putâ, & corruptionis subjectæ sint, ideo proderit monere etiam Divites, ut adversus hos casus animum mature præparent, ut, ubi aliquis acciderit, inconcusso, atque in DEI voluntatem resignato animo cum excipiant, imò ad primorum Christianorum exemplum rapinam bonorum suorum cum gaudio sustineant, scientes se meliorem in cœlis habere repositam substantiam.

### S. VI.

#### Quid circa Instructionem Patrum familias observandum sit.

I. **H**is ante omnia suadeat, ut, cùm à bona educatione Liberorum tota salus & inculumitas Reipublicæ, imò & domus suæ pendeat, hanc præcipue cordi habeant, ideoque Liberos suos à teneris annis ad DEI cultum condocefiant, eaque principia instillent, quæ huic fini attingendo opportuna videntur; sed & idoneis modis ad hoc suaviter pelliciant, atq; cum iis agant, sicut boni Angeli suis cum Clientibus, fine coactione res salutares eorum animis objiciendo, quæ cum iisdem